Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0001-6

Nf. 22.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0002-2

Q. D. B. V.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI WILHELMI,

REGIS BORVSSIAE, S. R. I. ARCHI-CAMERARII ET ELECTORIS, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, RELIQVA,

DOMINI SVI LONGE CLEMENTISSIMI,

SVMMIS AVSPICIIS AC MANDATO,

LECTIONES PVBLICAS ET PRIVATAS,

HOC SEMESTRI AESTIVO HABENDAS,

FRIDERICIANAE ACADEMIAE CIVIBVS,

IIS PRAESERTIM,

QVI SACRAM AMANT PHILOLOGIAM,

INDICAT

M. CHRISTIANVS BENEDICT. MICHAELIS,
PHILOSOPHIAE PROF. P. EXTRAORDINAR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1713.

32
ah.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0004-3

Quod vetus ait prouerbium, *Difficilia quæ pulchra*, id de ſanctis quodammodo valet Prophetarum oraculis. Nodos enim hæc paſſim habent, & ſuis implicita ſunt difficultatibus: quas ſuperare, id vero haud parui laboris eſt, nec niſi aſſiduo & continuis cum precibus coniuncto adquiritur ſcrutamine. Loquuntur myſteria, in quæ Angeli cupiunt introſpicere 1 Petr. 1, 12. ad quæ percipienda ipſi opus habuerunt ſcrutamine ſancti Vates, docente ibidem Apoſtolo v. 10 - 12. *De qua ſalute exquiſiuerunt & ſcrutati ſunt qui de gratia in vos prædixerunt, ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret qui erat in eis Spiritus Chriſti, prænuncians paſſiones Chriſti & gloriam illas conſecuturam.* Quid? quod ipſi quorundam oraculorum ſenſum admirati potius ſunt, quam intellexerunt, ignorantiam ſuam ac hebetudinem ad capienda illa myſteria faſſi: cuius rei exemplum eſt Zach. 4, 5. 13. vbi Propheta ſciſcitanti Angelo, anne ſciat, quid ſibi iſta velint, ingenue reſpondet, *Non, Domine mi*: & Dan. 12, 8. vbi Daniel, *Audiui equidem*, inquit, *verum non intellexi*. Omnino tantæ in prophetiis ſublimitates, tantæ profunditates ſubinde ſunt, vt qui rimatur eas, cum Moſe vi-

deatur in nubem & caliginem ingredi, ac ex abyſſo in abyſſum immergi. Illis certe, qui carent diuino lumine, viſio omnis eſt, inſtar libri obſignati, quem nec rudis, quia rudis eſt, legere valet, nec doctus interpretari, donec liber clauſus eſt Eſa. 29, 11. 12. Si verba conſideres, breuia vtplurimum & abſciſſa ſunt, & plus innuunt, quam primo obtutu videntur prodere: ellipſes nullibi magis, quam heic, frequentatæ; ſtilus paſſim figuratus, perpetuisque allegoriis ac parabolis tectus; numerorum non minus, quam perſonarum mutationes crebræ. Ex quo efficitur, vt ambiguus ſæpe ſis, ipſine loquantur Prophetæ, an Deum aliosue loquentes inducant? de ſeipſis dicant, an de alio quopiam? quis ſit item, ad quem verba faciunt? Denique vt nexus verborum, quo alia ex aliis pendent, legentibus conſtet, ad hoc magna opus eſt attentione.

Attamen, vtut difficilia ſint Prophetarum oracula, pulchra nihilominus ſunt, vtpote, ſicut Scriptura omnis, ſic ipſa etiam *θεόπνευστα, ac vtilia ad doctrinam, elenchum, correctionem, ac inſtitutionem in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum plane inſtructus* 2 Tim. 3, 16. 17. *Nec enim hominis voluntate allata olim eſt prophetia, ſed a Spiritu S. acti homines Dei loquuti ſunt* 2 Petr. 2, 21. Vnde Apoſtolus ibidem v. 19. *Habemus*, inquit, *firmius verbum propheticum, cui recte facitis quod attendatis, velut lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, donec dies illuceſcat ac lucifer exoriatur in cordibus veſtris.* Quid pulchrius, quam legere atque ad vſum ſuum conuertere ſcripta illorum, quos *præcones maieſtatis diuinæ & correctores prauitatis humanæ, reſipiſcentiæ & conuerſionis doctores, arcanæ ſapientiæ patres, & præparatores aduentus Chriſti in carnem*, vetus nominavit Eccleſia? Quid pulchrius, quam ea, quæ vnius Dei

Spiritu

Spiritu pleni Prophetæ pari & conſona voce prædixerunt, videre impleta eſſe implerique quotidie? cernere, velut in ſpeculo, præteritæ, præſentis ac futuræ ætatis imaginem? Sine Prophetarum ſcrutinio vitam terere, nec ſigna temporum ab eis definita diſcernere Matth. 16, 3. quid eſt aliud, quam viuere in diem, & Ennianum illud ſequi: *Incerte errat animus; præter propter vita viuitur?* Auget ſane hoc ſtudium, quam ſummo debemus Numini, reuerentiam, auget pietatem, auget ſpem ac fiduciam: nec vacillare poteſt qui, vt Apoſtolico, ſic Prophetico fundamento ſuperſtructus eſt Eph. 2, 20.

Sint igitur Prophetarum ſcripta difficilia, ſint nobis nonnullibi obſcura; at hoc diligentiam noſtram acuere debet, non hebetare: ſint aliquando ſupra captum vel intellectum noſtrum; hoc quidem hebetudinis noſtræ argumentum eſt, at, vt prophetici verbi faſtidium inde concipiatur, non decet. Nondum advenit quod perfectum eſt; ſed ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν 1 Cor. 13, 6. interim tamen Paulo obſequimur, dicenti 1 Cor. 14, 1. *Sectamini charitatem, ambite ſpiritualia, magis tamen vt prophetetis.* Nec immerito exiſtimamus, μακαρισμὸν illum, S. Apocalypſi Ioannis præfixum, *Beatus quisquis legit, & qui audiunt verba prophetiæ, ac ſeruant quæ ſcripta in illa ſunt*, ad omnem diuinarum prophetiarum lectionem quodammodo pertinere.

Non fallet autem nos ſtudium noſtrum, quidquid eius in ſcrutandis legitime Prophetis poſuerimus. Nam præterquam quod multa vaticinia verbis tam expreſſis ac ſignis tam lucidis conſtant, vt quilibet lector attentus ea facile intelligat; plurima his noſtris tempori-

bus multo clariora ſunt, quam fuerunt olim ſub V. Teſtamento. Vaticinia enim vix melius intelliguntur, quam ex euentibus ſuis: quos qui obſeruat & cum prophetiis ipſis componit, næ huic plana fiunt vaticinia. Atqui Chriſtus, de quo Moſes ac vniuerſi Prophetæ vaticinati ſunt Luc. 24, 25-27. iam venit, & regnum eius toto orbe diffuſum eſt. Vnde Luc. 10, 23. 24. *Ieſus ad diſcipulos conuerſus ſeorſim dixit, Beati oculi videntes quæ videtis: dico enim vobis, multos Prophetas ac Reges voluiſſe videre quæ vos videtis, nec vidiſſe, & audire quæ auditis, nec audiuiſſe.* Meminerimus quod eſt Danieli prædictum, *verba* eius *claudenda eſſe & librum obſignandum vsque ad tempus finis*, tum vero *multos promte in illis verſaturos eſſe magnamque cognitionem exſtituram* Dan. 12, 4. Hoc igitur priuilegio vtendum eſt nobis, & hac promiſſione, qui ad vltima vsque tempora deuenimus, excitandi ſumus ad ſcrutandum diuina Prophetarum oracula.

Id autem vt feliciter & cum fructu fiat, noſtram ante omnia reputemus ineptitudinem, eiusque conſcii diuinum lumen ac reuelatos oculos exoremus; hoc primum ſcientes, quod omnis prophetia Scripturæ ἰδίας ἐπιλύσεως non ſit 1 Petr. 1, 20. ſed Spiritum ſanctum, prout auctorem, ſic certum habeat interpretem. Cumque prophetiæ parabolarum inſtar ſæpe ſe habeant, & mentes inter noſtras ac prophetarum ſenſus quoddam quaſi velum interſit; neceſſe eſt igitur, Dominum cum Petro rogare, vt iſtas nobis parabolas ediſſerat, ac Moſis & Prophetarum velum a nobis aufferat, quo *retecta facie gloriam Domini contemplemur* 2 Cor. 3, 15. 18. Secundum illud vero magna non minus attentione opus eſt, & me-

& meditatione continua; nec obliuiſcendum nobis vnquam in Prophetarum lectione, quod Dominus inculcat, ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, *QVI LEGIT, ATTENDAT*, Matth. 24, 15. Hic enim eſt ſapientia: qui habet νοῦν, attendat, quid Deus Eccleſiis per Prophetas dicat! Vt autem res ipſæ, quas prophetiæ continent, in Theologicis ſcholis explicantur; ſic philologia ſacra itidem habet, quod ad illuſtrandum illas conferre poſſit, declarando voces & phraſes authenticas, ſine quarum cognitione res ipſæ vix poſſunt comprehendi.

Ceterum cur hoc præfamine ad Vos vtar, cariſſimi Commilitones, reſtat vt breuiter exponam. Complures nimirum anni effluxerunt, ex quo bonas litteras ac ſacram inprimis philologiam in florentiſſima hac Fridericiana non ſine Veſtro (vt ſpero) fructu, certe fideliter & pro viribus docui: dum igitur fidem ac diligentiam pro modulo meo probo, Deus, in cuius manu ſunt Regum corda, animum Sereniſſimi ac Potentiſſimi Boruſſiæ Regis FRIDERICI, gloriosiſſimæ memoriæ, Regis ac Domini noſtri, dum viueret, longe Indulgentiſſimi, ita flexit, vt, priusquam mortalitati eximeretur, me Profeſſoris Philoſophiæ publici extraordinarii locum capeſſere clementiſſime iuſſerit: pro qua Regia Clementia, precor, vt Deus O. M. Glorioſiſſimi Regis Filium ac Succeſſorem, Paternarum Auitarumque virtutum hæredem, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, FRIDERICVM WILHELMVM, Regem Boruſſiæ, Dominum meum longe Clementiſſimum, vna cum Sereniſſima Coniuge, REGINA, ac tota Domo Brandenburgo-Boruſſica, fauſtis auſpiciis, fauſto regno ac exoptatis fortunare velit ſucceſſi-

cesſi-

ceſſibus! De materia igitur publicarum lectionum, quas Clementiſſima Voluntas Regia iniunxit, deliberanti viſum eſt mihi, τὸ Δωδεκαπρόφητον, ſeu *Duodecim Prophetas Minores*, poſt abſolutos priuata opera Maiores, *publice* ex fontibus ſacris explicare, eruendo vocabulorum phraſiumque proprietates ac pondera, oſtendendo nexum orationis, ac illuſtrando quæ difficilia ſunt, ex geographia, hiſtoria, antiquitatibus ac ritibus ſacris, vt grammaticus prophetiarum ſenſus vbique (quoad fieri poteſt) pandatur ac in aprico ponatur. Cuius laboris, quod Deus bene vertat! initium faciam d. XV. Maii, daturus ei horam tertiam poſt meridiem poſtremis tribus per hebdomadam diebus. *Priuatim* vero proxime *Fundamenta Linguæ S.* docebo; quibus ad finem perductis, diuerſis Collegiis, vno *Pentateuchum Moſis*, altero *Hagiographa V. T.* philologice exponam, additurus prælectiones de Codicis Hebræi diſtinctionibus, &, ſi tempus permiſerit & e re veſtra fuerit, forte alias. Singula Collegia quo tempore & quibus horis inchoaturus ſim, diſtinctius ex tabula publica ſignificabo. Vos, Commilitones cariſſimi, diligentes ac ſeduli adeſte, ac ſacræ philologiæ fructus ex benedictione diuina mecum capite. Is autem, a quo eſt omne donum bonum, conaminibus noſtris clementiſſime adſit, ſucceſſusque largiſſimos impertiatur. Valete. P. P. in Academia Fridericiana feriis Paſchalibus, anno cIɔ Iɔcc XIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0011-1

4. Okt. 1979

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0012-7

Bb 13.
8
ULB Halle 3
002 721 090
S.B.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0013-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0014-8

32

Q. D. B. V.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI WILHELMI,

REGIS BORVSSIAE, S. R. I. ARCHI-CAMERARII
ET ELECTORIS, MARCHIONIS BRANDENBVRGICI,
RELIQVA,

DOMINI SVI LONGE CLEMENTISSIMI,

SVMMIS AVSPICIIS AC MANDATO,

LECTIONES PVBLICAS ET PRIVATAS,

HOC SEMESTRI AESTIVO HABENDAS,
FRIDERICIANAE ACADEMIAE CIVIBVS,
IIS PRAESERTIM,
QVI SACRAM AMANT PHILOLOGIAM,
INDICAT

M. CHRISTIANVS BENEDICT. MICHAELIS,
PHILOSOPHIAE PROF. P. EXTRAORDINAR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ. 1713.

ah.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-293516-p0015-4